

Universitätsbibliothek Wuppertal

C. Cornelii Taciti Opera Qvæ Exstant

Tacitus, Cornelius

Antverpiae, 1668

De indice, et materie, et numero horum librorum

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1742](#)

A,
sunt:
prisci
rificia
cium
Ma.
Caius:
pp. C.
so hoc
Co.
am in
robum
detur:
lleius
mpio
us fa
min
ensis
pano
decora
one,
erem
elleius
rafe
nde
missa
rium
isque
rater
quos
d Ti-
ribit:
9, qui
legati
quam
zimus

animus mihi dictat obiisse eum in strage illâ amicorum Seiani. Quidni ita credam, hominem tam amicum Seiano, & in hoc ipso libello publicum eius laudatorem, inter amicos fautorésque Seiani interfectum? profectò Tacitus & Dio auctores, rarum aliquem ex iis Tiberianæ sanitæ superfuisse. Scripta an alia reliquerit, ignoro. Iactat quidem & promittit non uno loco Iustæ Historiæ volumina: sed an ediderit scripsitve, quis dicet? Nam quod Gesnerus in Bibliothecâ adnotat, VV Wolfgangum Lazium habuisse De bello in Sueuos, nugas arbitramur: sicut & Georgij Merula, qui de integro apud se Velleio sparsit, vanitatem ridemus ambitiosam.

DE INDICE, ET MATERIE, ET NUMERO HORVM LIBRORVM.

EX STANT libelli hi duo, nec toti: probi & fidi, donec ad Cæsarum res venias, vbi haud usquequa veri. Per adulationem enim multa celat, aut uelat: imò & palam aliter narrat. Diserti tamen ubique, & eloquentia quadam facili ac profluente. Titulus in iis hodie est: HISTORIÆ ROMANÆ AD M. VINICIVM COS. nec credo hunc probum esse, aut à Velleio. An hæc Historia? imò nec compendium propriè aut breuiarium historiæ, sed serie accuratâ temporum Chronicæ quædam Notæ. sic tamen, ut præcipua rerum, hominum, virium, misceat atque excusat. An etiam Romana tantum? mihi non videtur: & totum adeò priorem librum video occupari ferè in rebus Græcanicis atque externis. Quod magis diceremus, si integer ille exstaret. Itaque de Titulo ambigo: & damnare tamen magis gaudeo, quam immutare. Materiem videamus. Rhenanus, qui primus auctorem hunc è Bibliothecâ Murbacensi bono publico protulit, cense: Velleum ab urbis primordio Romanam historiam omnem, admirabili compendio, duobus his voluminibus fuisse complexum. Miror virum doctum sic scribere. An ab urbis exordio ille coepit, qui palam & ex professo multa saecula recenset, ante eam cogitatam? qui alienissima miscet à Romanis rebus? Librum hunc primorem videto, & aliquis mihi negato. Quid ergo est? ego in sententia quam tetigi hæreo, Velleio propositum fuisse compendio & annorum ordine complecti res notarum gentium & noti æui. Coepisse eum à Troianis temporibus, aut circà, & pertexuisse uno filo ad Consulatum hunc M. Vicinij: id est annum Urbi DCCCLXXXII. Tiberiani autem imperij xvi. Clarum argumentum ex primordio ipso quod nunc est libelli: vbi casus & res eorum qui à Troia redierunt. Sed plura intercederunt, cum hic tantum Græcorum casus: non etiam Troianorum, atque adeò nec ipsius Aeneæ: quem omittere certè non potuit, auctorem & caput Romanæ stirpis. Sed hæc talia, quæ & vbi deesse videantur, in locis suis adnotabo. Nunc de Numero quid censemus? Libelli duo sunt, ex Rhenani, aut codicis eius, divisione. sed divisione herclè parum scitâ aut æquabili, si quis copiam molemque rerum videat, quæ perierunt. An in unum & priorem librum incluseris, quæ à capite omnia desunt de Græcis à Troiâ redientibus & variè sparsis? quæ postea de Antenore, aut Aenea? quæ de Latij & Albæ regibus? quæ de ipsis regibus Romanorum? imò quæ de Consulibus aut Tribunis militum, usque ad bellum Numantinum? Nam hæc omnia (ut illa quidem partitio est) necessariò habuerit liber unus primus. Non potest ô Lector: & profectò plures in priore libro libri, si seriò examinas & attendis. Quod ipsum ut in Notis meis facias, quas adtexam, te rogo.